

uti notat Zypæus in Jure Novo *tit. Ne Sede vacante numer. 1.* In his Partibus, quamdiu Superior nihil præstitit, inferiores judices conferunt. Hoc & menti Concilii Lateranensis conformius esse credit ibidem Zypæus.

VIII. Post lapsum sex mensium jus conferendi ab inferiore collatore devolvitur ad ejus immediatum Superiorem *Capit. 3. de Supplenda neglig. Pralat.*

Itaque si capitulum negligens fuerit, devolvitur ad Episcopum; etiam si ipse Episcopus unâ cum Capitulo habeat jus conferendi; sed non ut Episcopus; sed ut *Canonicus, capit. 15. De Concess. Præbenda.*

IX. Et quidem devolutio fit ad Episcopum non collatoris negligentis; sed ad illum in cujus Diocesi situm est Beneficium in cujus collatione negligentia est commissura. Rebuffus loco citato *n. 39.*

X. Si autem ipse Episcopus negligens fuerit, devolvitur provisio ad Archiepiscopum, & ab hoc ad Primate, & hinc ad summum Pontificem *Cap. fin. De Suppl. neglig. Pralat.* Hisce in Provinciis Primates non sunt: unde ab Archiepiscopis immediatè devolutio fit ad summum Pontificem: & in Regno Galliarum unus est Primas Lugdunensis, ad quem jus conferendi à quibusdam Archiepiscopis devolvitur. Rebuffus loco citato *n. 23. & 24.*

XI. Juxta citatum Decretum Concilii Lateranensis in *Cap. 2. De concess. Præb.* subinde etiam ab Episcopo jus devolvitur ad Capitulum; at hoc hodiè non servatur, uti ibidem *nu. 23.* monet Rebuffus, & Choppinus *Lib. 1. de Sacra Polit. tit. 3. n. 13.* Si tamen collatio spectaret conjunctim ad Capitulum & Episcopum; ita ut Episcopus Capitulum indicere, atque Capitulo præsidere deberet; & in collatione suffragium cum reliquis Canonici haberet, si Episcopus conferre negligeret, posset indubie capitulum intra tempus præscriptum ad collationem procedere; & Decanus aut Senior Capituli convocare capitulum; ne aliàs in potestate Episcopi esset, Capitulum jure conferendi privare; & juri devolutionis locum facere.

XII. Si collatione spectante ad capitulum & Episcopum, conventum sit, ut per *turnum* conferatur, nunc per capitulum, nunc per Episcopum solum; si Capitulum negligat, devolutio fiet non ad Episcopum, qui est par collator cum Capitulo, sed ad Archiepiscopum, ait Garcias *De Benef. parte 10. c. 3. num. 35.* quia divisio non tollit

aut mutat jus devolutionis, quæ est ad proximum Superiorem, & non ad eundem inferiorem, qualis est in hoc casu Episcopus.

XIII. Similiter si *Turnarius* negligat præsentare intra tempus præscriptum, Capitulum aliud tempus non habet; ut ibidem *n. 36.* monet Garcias: Nam committens & commissarius non debent habere nisi unum terminum seu semestre, ait *n. 38.*

XIV. Hæc quidem si agatur de non exemptis. Ab exemptis enim & Romano Pontifici immediatè subjectis non fit devolutio ad Episcopum; sed immediatè ad Pontificem tamquam exemptorum immediatum Superiorem. *Capit. 2. & 3. De Supplenda neglig. Pralat.*

Si Regulares Prælati Prioratus, Ecclesias, administrationes aut quævis alia Beneficia ad eorum collationem spectantia, intra tempus à Concilio Lateranensi præscriptum conferre negligant, Diocesani locorum in non exemptis suis, in exemptis verò Apostolicâ auctoritate, negligentiam super hoc suppleant eorundem, ait *Clem. Unica de Suppl. neglig. Pralat.*

XV. In eadem Clementina præcipitur Diocesani, ut supplendo negligentiam Prælatorum conferant Beneficia servata Beneficiorum conditione & qualitate; illa videlicet quæ consueverunt per seculares Clericos gubernari, secularibus Clericis: alia verò quæ Religiosis, Monasteriorum, quorum Prælati negligentis fuerint, conferendo.

XVI. Hinc statuitur hæc regula à Canonistis; *Devolutio fit cum qualitatibus & personis, quæ in prima erant collatione.* Ita Rebuffus loco citato *n. 43.* qui inde *n. 41.* infert; si Episcopus conferre debeat Nominato, ita tenetur, bitur Archiepiscopus ad quem devolutio erit. Item, quis debebat conferre alicui de genere (ait *n. 42.*) fundatoris, ut is ad quem devolutio facta est teneatur sic conferre.

Id ipsum in aliis quoque Beneficii qualitatibus dicendum: quia ipse Superior dumtaxat intrat in jus ipsius collatoris ordinari; & consequenter eodem jure iisdemque legibus uti debet; quamvis Rex succedens jure Regaliæ in collatione Episcoporum Sede vacante in aliquibus utatur jure nonnihil liberiore, quam ipse Episcopus uti posset, uti infra notabitur; sed id ob eminentiam Regis specialiter receptum est.

13. Per Edictum ad concursum soli vocatur, qui satis de sua vocatione sunt securi.

14. Quare potius posterior, quam prior forma hic recepta?

15. Necessitas legitima vocationis ad Beneficia præsertim Curata.

16. Edictum indicti concursus ita proponi debet, ut in omnium passim notitiam venire possit.

17. Quod tempus præfigendum in Edicto intra quod vocati se examini sistere teneantur?

18. Tempus intra quod Edictum si proponendum Synodus Trid. non determinat; S. Carolus intra triduum proponi voluit.

19. Synodi Belgicæ tempus non definiunt; volunt tamen curissime Ecclesiis Parochialibus provideri.



YNodus Tridentina expendens, quanto perire intereret salutis animarum ut singulis Parochis boni idoneique Pastores qui verbo & exemplo populum pascere, præficerentur, novam providendi Ecclesiis Parochialibus formam, temporum conditione accomodatam, introduct & observari præcepit *Sess. 24. c. 18. De Reformat.*

Hunc fuisse scopum Decet significat ipsa Synodus, præfationis loco hæc præmittit: Expedi maxime animarum salutem, à dignis atque idoneis Parochis gubernari: id ut diligentius ac rectius perficiatur, statuit &c.

II. Hinc rectè deducit Zypæus *Consult. 1. De Elect.* in hac provisionis forma præcipiente attendendam salutem animarum, cui ipsa Synodus per suum Decretum optime provisum voluit; hæcque apicibus juris prævalere, ut potius ea attendatur, quamvis totæ defectus in concursu obrepens. Deinde frangit *n. 7.* Ut si unquam verum sit, eum peccare legem, qui verba legis amplectus, contra legis nititur latentem id maxime, hic obtineat.

Relatis post hæc nullitatibus concursus, quas Barbosa aliique passim, attentis verborum apicibus, inducunt, ostendit, hæc in regionibus magis mente & scopo ipsius Concilii, quam juxta verborum apicem formam concursus esse receptam. Hanc libertatem & ipsa Synodus Tridentina indulgisse videtur, dum sine sui Decreti declaratione, licere etiam Synodo Provinciali, si qua in supradictis, circa examinationis formam tendit, remittenda esse censuerit, providere.

III. Itaque in Belgio forma provisionis prædicta Concilio præscripta est, sed ubique recepta, neglectis tamen, pro temporum & locorum conditione, nonnullis verborum apicibus; nimirum magis ipsius Synodi mente & scopo, quam externo verborum eorum attentis, uti in sequentibus notabitur.

IV. Primò itaque statuit Synodus, ut in Parochialis Ecclesiæ vacatio quomodocumque egerit, Episcopus, & qui jus patronatus abet, interdecem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præfiscibem idoneos aliquot Clericos ad regendam Ecclesiasticam, deputandis Examinatoribus nominet. Liberi sit tamen alii, qui aliquos ad id aptos noverint, rum nomina deferre, ut possit postea de iis libere ac, moribus & sufficientia fieri diligenter inquisitio. si Episcopo aut Synodo Provinciali per regionem se videbitur, magis expedire, per Edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari.

V. Scribitur, à nonnullis Patribus Tertiniis huic formæ indicendi concursus unius oppositum, illum concursum petitorum locum dare nimirum pertum & publicam ambitioni. Prætemporis Patres professos, Ecclesias à se dari recensitis eas, ita autem ista ratione introduci, ut non modo illipertè pro-

curare, sed etiam dignum se profiteri, & captare fas esset.

VI. Quidquid sit de veritate hujus relationis, hoc certum est, Synodum hic proposuisse duplicem formam evocandi Clericos ad concursum.

Priori formæ allegata in contrarium ratio convenire non potest. Eâ enim formâ servatâ, non ipsi ad concursum venientes propriâ voluntate se ad Ecclesias præsentant; sed ab Episcopo, aliore auctoritate habente specialitè ac nominatim vocantur, & Examinatoribus tamquam idonei præsentantur.

VII. Quoad posteriorem formam, notandum imprimis, quòd hæc forma tantum à Patribus quasi subsidariè proponatur; ut si prior servari non queat, alium possit. si Episcopo, aut Synodo Provinciali pro regionis more magis videbitur expedire: ita ut eam magis permittere pro temporum circumstantiis, quam absolute probare videatur.

VIII. Ad hæc indubitatum est, Synodum Tridentinam per hanc posteriorem formam evocandi per Edictum publicum, noluisse infringere, vel in minimo labefactare regulas legitime vocationis à Patribus jam pridem præfiscitas; sed voluisse firmam manere regulam ab Apostolo expressam: *Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron;* imò nec intendisse probare, Clericorum ad Beneficia præsertim curata curatationes, & sollicitationes. Noverat enim jam pridem ex mente Patrum dictum à S. Thoma: *Si aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum ex ipsa præsumptione redditur indignus.* 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3.

IX. Noverat id S. Carolus, qui promovendis rebus Concilii hoc ipso tempore quo Decretum editum fuit, intendebat; qui idcirco hæc formâ uti haud formidabat, edictumque publicum proponendum statuit in Concilio Provinciali I. quo omnes invitentur, qui volent examinari, vel alios examinandos nominare: hancque formam à Synodo, & diligenter considerata electam esse ibidem asserit.

Quis verò suspicetur, quòd umquam induci potuisset hic sanctissimus Præsul, ut hæc forma evocandi Synodali Decreto pro tota sua Provincia probata fuisset, nisi scivisset, etiam cum hac forma regulas legitime vocationis ad Beneficia, præcipue curata, posse consistere, neque per eam Clericorum ad Beneficia curata capellenda ambitionem, vel aviditatem foveri aut excitari. Scitur enim quàm sollicitus fuerit, ut daretur opera à Confessario Seminarii præcipue in sermonibus & confessionibus, ut omnis ex Clericorum mentibus litis & aviditas Beneficiorum tollatur; proinde videatur, ut ea de re ne ipsi quidem inter se colloquantur: ita ut magis sapius inculcet, quam averli ab omni rerum humanarum cogitatione, Ecclesiastici Ordinis homines in via Domini ambulare debeant.

X. At dicet quispiam, dum ejusmodi edictum publicum appenditur, nonne omnes passim Clerici excitantur & monentur, ut qui Beneficium Parochiale vacans desiderat examini se listat; atque ad illud quasi ad præmium studii & eruditioni propositum concurrat. Nonne qui se ad simplicem hujusmodi edicti publicationem examini præsentat, & ad Beneficium Parochiale concurrat, ostendit, se Beneficium illud desiderare; quando specialiter ab Episcopo non vocatus proprio motu accurrit.

XI. Certum est, mentem Ecclesiæ non esse, ut ad publicationem edicti quispiam se listat, qui non prius serio examinaverit, num ad curam animarum à Deo sit vocatus signaque tam internæ, quam externæ vocationis pro rei magnitudine disculserit: quin & intima conscientia scrutatus sit, an ad curam animarum non propriè commodi, aut vanæ gloriæ intuitu, sed ad promovendam Dei gloriâ & salutem animarum procurandam unice moveatur.

XII. Ve-

TITULUS XXII.

De Concurfu ad Parochiales.

CAPUT I.

Proponitur & justificatur Forma Concursus à Synodo Trid. proposita; & quomodo proponendum edictum Concursus.

1. Synodus Tridentina novam formam providendi Ecclesiis Parochialibus induxit: & quis scopus Decreti.
2. Scopus Decreti magis attendendus, quam cortex verborum.
3. Quomodo in Belgio receptum.
4. Duplex forma indicendi Concursum proponitur.

5. Arguitur hæc forma tamquam Clericorum ambitionis & præsumptioni serviens.

6. Hac oppositio priori formæ opponi non potest.

7. Posterior forma tantum quasi subsidiariè à Synodo proposita fuit.

8. Synodus noluit per hanc formulam infringere regulas legitime vocationis; neque Clericorum ambitionem fovere.

9. Probatur auctoritate S. Caroli.

10. Rationes ob quas formula hæc videatur Clericorum ambitioni subservire.

11. Mens Synodi non fuit, ut quis se concursui listat, qui non sit de sua vocatione sat securus.

12. Optandum esset ut omnes nominatim ab Episcopo vocari possent; sed tamen securius ab alio vocationem suam intelligunt Clerici.

13. Per-

XII. Verum quoque est quod conveniens est, ut nemo ad curam animarum, nisi Episcopo specialiter vocante & movente applicaretur; atque ita vocationem suam ab ipso intelligeret. Dabitur tamen nequit, quin frequenter possit contingere, ut quis per alium, qui vitam totamque ejus statum intimè novit, melius ac securius vocationem suam, quam per solum Episcopum, cui saepe parum notus est, intelligat.

Sic Theologi in Collegiis Academicis studentes saepe multo securius à pio, docto & zeloso Præfide vocationem suam accipient, quam ab Episcopo, cui eorum vita & conversatio, aliæque in dijudicanda vocatione attendenda, minus perspecta esse solent.

XIII. Itaque dum per edictum vocantur omnes qui volunt examinari, soli ii vocari censentur, qui in se tam internæ, quam externæ vocationis sufficientia indicia habent: & licet non ab Episcopo, ab alio tamen, qui locum Episcopi supplet, ad curam ita se miti intelligunt, ut merito confidant, quod à Deo vocentur, & à Christo in vineam suam mittantur seu potius extrudantur.

XIV. Quia autem hodie tum propter latitudinem Diocesium, tum erectas publicas Academias, ad quas ex omnibus Diocæsisbus indifferenter Clerici studiorum causâ concurrunt, vix fieri potest, ut Episcopi omnium Clericorum exactam notitiam accipere queant; ideo hæc posterior forma à Synodo Tridentina proposita ubique passim recepta fuit; ut hoc pacto, etiam ii qui Episcopo minus noti sunt, se examini sistere queant; modo tamen aliunde sat securi de sua vocatione reddantur.

XV. Quam autem necessaria sit legitima vocatio ad Beneficia Ecclesiastica, præcipue Curata; quamque periculosum, etiam optimâ intentione suscipere regimen animarum à Deo non vocatum, eruditè ac solidè ostendit Antonius Godeau Venciensis Episcopus in Discursu de Vocatione ad Statum Ecclesiasticum; unâ notas legitimæ vocationis à Patribus assignans; merito legendus ac ferè examinandus & ruminandus à junioribus Clericis, qui se ad Statum Ecclesiasticum vocatos nonnumquam nimis facile credunt.

XVI. Edictum hoc ita affigendum est, ut finis illius obtineatur; id est, ut per illud vocentur omnes, qui examini se sistere volunt. Unde nec locus ubi affigi debeat, nec tempus quo affixum remanere, à Synodo determinata sunt; sed ea arbitrio Episcoporum relicta; ut hi despiciant quid pro more & circumstantiis locorum fieri expediat, ut effectus edicti habeatur, id est, in omnium notitiam indictio concursus perveniat, quatenus plures examini se sistentes, possint capaciosius Ecclesiis Parochialibus præfici. Quare non tantum Archiepiscopus Mechliniensis, in cujus Diocæsi est Universitas Lovaniensis, sed alii Episcopi edictum indictionis concursus ad scholas publicas dictæ Universitatis affigi jubent, ut hoc pacto ad notitiam Clericorum ibidem studentium venire possit.

XVII. Debet Edictum continere tempus, intra quod qui examinari volunt, se Episcopo & Examinatoribus sistere debeant. Cùm verò edictum hoc in locum nominationis ab Episcopo aut Patrono faciendæ ex præscripto Synodi Tridentinæ surrogetur, videtur juxta mentem Synodi tempus illud esse decem dierum; nisi tamen Episcopus ex causa rationabili protogandum duxerit: quam protogationem ultra alios decem dies extendi vetuit Pius V. in Bulla super forma concursus quæ incipit. *In conferendis* 33. in Bull. Rom. At hic in Belgio hæc Bulla Pii V. saltem quoad hoc punctum recepta non videtur; sed juxta verba Concilii Tridentini, tempus hoc arbitrio Episcopi relictum apparet. Dicit enim Concilium nominandos esse ab Episcopo aut Patrono Clericos aliquot idoneos intra decem dies vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum; unde Zypæus monens, nullatenus attendendum ad apices quos nonnulli in forma concursus sub pœna nullitatis requirunt, iis annumerat & hunc, quod

Edictum propositum fuerit cum majori termino quam viginti dierum.

XVIII. Quando autem edictum sit affigendum, Synodus Tridentina non determinavit. Sanctus Carolus in Concilio I. Mediolanensi statuit, "Ut cùm primum Episcopus Parochialem Ecclesiam vacare cognoverit, intra triduum ad Cathedralis & vacantis Ecclesiæ januam publicum edictum per totos decem dies, vel aliud longius tempus, ejusdem Episcopi arbitrio propositum esse jubeat."

XIX. Synodi Belgicæ nullum tempus proponendo edicto, sive concursui indicendo determinant; hoc unum monet Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 17. c. 6.* "Ecclesiis Parochialibus vacantibus curabunt Episcopi & Archiepiscopi, ut quàm fieri poterit citissime, iisdem de idoneis Pastoribus provideatur."

CAPUT II.

Quæ Ecclesiæ Parochiales Concursui sint subjectæ?

1. Forma concursus potissimum ex Decreto Concilii Tridentini petenda.
2. Referatur Decretum Concilii exprimens Ecclesias Concursui subjectas.
3. Decretum suâ generalitate quascumque Ecclesias Parochiales complecti videtur.
4. In multis usu & interpretatione restrictum, & quare?
5. Prima restrictio quoad Ecclesias curatas in Ecclesiis Collegiatis.
6. Secunda restrictio in Ecclesiis Parochialibus, quibus deservitur per Vicarium amovibilem.
7. Parochiales, quibus præstet Vicarius perpetuus, subjacent concursus.
8. Declarationes Cardinalium contraria inmittuntur Bullæ Pii V. hic non promulgata.
9. Tertia restrictio quoad Parochiales annexas Dignitatibus.
10. Restrictio hac fallit, si dignitas sit annexa Parochiali.
11. Decretum Concilii comprehendit Ecclesias Patrimoniales.
12. Quomodo Patrimoniales, uti nominati Academicis in concursu alii sint præferendi?
13. Synodus omnem vacationis modum suo Decreto comprehendisse videtur.
14. Exceptus modus vacationis per resignationem in favorem; & quo fundamentis?
15. Idque sive provisio fiat in curia R. sive in partibus.
16. Idem est de permutatione.
17. Hæ exceptiones usu receptæ sunt.
18. Reservatio non impedit concursum.
19. Cur Concilium expressè nominatim reservationem in favorem Cardinalium.
20. Concilium complectitur etiam Ecclesias juris patronatus.
21. Excipit tamen Ecclesias Patronatus laici.
22. Ecclesias juris patronatus mixti nonnulli volunt concursui esse subjectas.
23. His consonat constitutum Pii V.
24. Aliud habet praxis harum Provinciarum, si laicus cum Ecclesiastico in præsentatione concurrat.
25. Quid si per Turnum presentent?



Uandò quidem forma provisionis per concursum primò introducta & præscripta sit per Synodum Tridentinam, ex hujus potissimum Synodi de cetero desumenda

da sunt, quæ ad formam hujus provisionis pertinent; atque in terminis hujus Decreti harendum, præsertim in his ditionibus; "Ubi Concilium receptum, prout sonat, non ut quotidianæ interpretationes, Decreta aut constitutiones Romæ adferri possint, quæ præter mentem Concilii, Decretum alterent, amplient, aut restringant;" ait Zypæus *Consult. 1. De Elect. num. 6.* Quare nec Bulla Pii V. formam concursus, describens hæc in ditionibus usu recepta est, uti supra notavimus; & infra adhuc notabitur.

II. Itaque ut sciatur in quotum Beneficiorum provisione servanda sit forma concursus, ipse textus Concilii Tridentini potissimum expendendus est.

Verba ergo Synodi sunt; "Cum Parochialis Ecclesiæ vacatio, etiam si cura Ecclesiæ, vel Episcopo incumbere dicatur, & per unum vel plures administraretur, etiam in Ecclesiis patrimonialibus, seu receptivis nuncupatis, in quibus consuevit Episcopus uni vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infrascriptum examen teneant, si mandat, per obitum, vel resignationem, etiam in Curia, seu aliter quomodo cumque contigerit, etiam si ipsa Parochialis Ecclesia reservata vel affecta fuerit generaliter vel specialiter, etiam vigore indulti seu privilegii in favorem, S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, seu Abbatum, vel Capitulum: debeat Episcopus &c."

III. Hac generali expressione cum omnibus clausulis ampliantibus, sicut insinuat Synodus, se velle, ut forma concursus præscripta, in cujuscumque Ecclesiæ Parochialis provisione, quantum conditio temporum ferebat, servaretur: eò quod expediat maximè animarum salutem, à dignis, atque idoneis Parochis gubernari; id quod per provisiones in forma hic præscripta rectius obtineri posse confidebat.

IV. Verùm quia hic providendi modus observari non potest, nisi inferiorum Collatorum, & Patronorum jus saepius diminuat, ut infra videbitur; mirum quomodo patulatum subtili interpretatione, usque contrario Decretum tam generaliter conceptum in multis restrictum sit.

V. Imprimis licet Concilium velit concursum fieri, tamen si cura Ecclesiæ vel Episcopo incumbere dicatur, & per unum vel plures administraretur, nihilominus receptum est, saepiusque declaratum, non esse locum concursui, quando cura animarum spectat ad Ecclesiam Collegiatam, & cura exercetur per Canonicos vel Hebdomadarios, vel alios Clericos; ita Gonzales ad Regulam 8. Cancellariæ *Glossa 6. num. 158.*

Idipsum refert Garcias De Beneficiis *parte 9. cap. 2. num. 180.* qui tamen ibidem *num. 176.* fatetur quod similia Beneficia sint curata ex hoc Decreto Concilii; atque attentis verbis Concilii, censuisse aliquando Rotam in hujusmodi beneficiis esse locum concursui, ob expressa verba Concilii jam citata.

Deinde recitatis contrariis declarationibus S. Congregationis concludit *num. 181.* "Unde dictum Decretum Concilii de concursu faciendò, non videtur receptum, sicut intellectum ex auctoritate Papæ, & S. Congregationis Concilii quoad beneficia, quorum cura per plures administratur, maximè in Ecclesiis cathedrali vel collegiata."

VI. Quin & usu receptum est, concursum non habere locum, si cura sit penes Capitulum, aut Monasterium, vel aliquam Dignitatem, & exercetur per unum, sed Vicarium amovibilem; eo quod per mortem talis Vicarii non videatur vacare Ecclesiæ Parochialis; quia penes similem Vicarium non fuit titulus Parochialis; neque verum Beneficium Parochiale habere censendus est.

VII. Sed quid si Ecclesiæ Parochialis quidem sit unita & incorporata alicui Monasterio aut Capitulo, vel Dignitati, sed cura actualis sit penes Vicarium perpetuum; qui inlar veri beneficiati instituat? Contraria hæc in speciem referuntur S. Congregationis declarationes; quæ in modum videre est apud Pyrrum Corradum in praxi Beneficiorum

Van Elpen *Jur. Eccl. P. II.*

lib. 3. cap. 3. & Massobrius in praxi habendi concursum ad vacantes Parochiales *Preludio 14.* ubi notat ex Rebuffo aliisque: "quod disposita in Beneficiis curatis locum, habere videantur in Vicariis perpetuis; & Vicaria perpetua dicatur beneficium Ecclesiasticum; & hujusmodi Vicarij habeant verum titulum; ideoque non possunt removere, veri etiam si Rector principalis moriatur."

Si itaque erecta sit Vicaria in titulum, omnisque cura animarum in Vicarium translata, solo nomine Pastoris primitivi sine ulla cura animarum aut jure ad functiones Pastorales penes Capitulum, Monasterium aut Dignitatem remanente, tali casu concursui locum esse, asserit post Garciam aliosque Massobrius loco citato *dubio 2.*

Et sane cùm re ipsa penes hujusmodi Vicarium sit titulus Beneficii Parochialis, eique non secus atque vero Parochia cura incumbat; & per ejus mortem Ecclesiæ Parochialis verè vacare dicatur, vis inferretur Decreto Concilii tam generalibus & enixis terminis concepto; si similes Vicarias concursui non subjectas esse dicemus.

VIII. Referuntur quidem nonnullæ declarationes Cardinalium, quæ Vicarias perpetuas concursui non esse subjectas declarant, uti post Garciam refert Massobrius loco citato. Sed notat Gonzales, hæc declarationes potissimum in niti constitutioni Pii V. de Vicariis perpetuis quæ incipit *Ad exequendum 46.* in Bull. Rom. quæ Vicarias perpetuas à concursu eximit; eamque eatenus ipsi Concilio derogasse; dicitque consequenter, non esse servandam formam Concilii, sed formam dictæ constitutionis; "quatenus (ait) sit contraria Concilio, quia est posterior per quatuor annos à publicatione dicti Concilii." Hæc ad *Reg. 8. Cancell. Gloss. 5. 3. num. 53.* Hoc autem intelligi debet de locis in quibus hæc Constitutio Pii V. recepta probatur: quod hæc in partibus hætenus contigit non videtur; adeoque & Ecclesiis Parochiales, licet Monasteriis & Capitulis unitas, & per Vicarios perpetuos deserviri solitas concursui exponi, & juxta formam à Concilio præscriptam conferri videmus; & pro concursu judiciali Senatuum Brabantiarum contra Capitulum Nivellesse testatur Zypæus *Consult. 2. De Elect.*

IX. Si Ecclesiæ Parochialis sit annexa Dignitati; ipseque obtinens Dignitatem per se exerceat curam animarum, verusque Pastor sit, atque Parochialem Ecclesiam obtineat, eam nec hoc casu concursui subjacere, communis est Doctorum interpretatio; quam & usus recepit; si nimirum ipsa parochialis accessoria unita sit: quo casu fieri collationem Dignitatis, potius quam Ecclesiæ Parochialis crediderunt; ideoque hic proprie non esse casum Concilii Tridentini loquentis de collatione seu provisione Ecclesiæ Parochialis. Atque hinc rursus apparet, quod decretum Concilii Tridentini strictè & ad verborum rigorem interpretandum crediderint: quod an conforme sit menti ipsius Concilii, hæc formam concursus præscribens, ut diligentius ac securius saluti animarum provideretur, alii viderint.

X. Interim si Canonicatus aliudve beneficium sit unitum Ecclesiæ Parochiali viâ suppressionis vel accessionis, concursui eam subjectam esse dubitari nequit. Parochialis enim eo casu manet in suo integro ac naturali statu; atque per mortem possessoris verè contingit vacatio Ecclesiæ Parochialis; & proprie provisio fieri debet de Ecclesiæ Parochiali.

XI. Vult Concilium formam concursus observari etiam in Ecclesiis patrimonialibus, quorum beneficiorum nulla sit expressa mentio in jure nostro, neque in jure tangitur materia istorum beneficiorum; uti post alios observat Gonzales ad Regulam 6. *Cancell. Gloss. 9. 5. 1.* ubi latè de his beneficiis tractat; & aliqua jam supra *tit. 19. cap. 1.* notata sunt.

Illud hic notandum, quod Concilium hujusmodi Beneficia concursui subjiciens, ostendat, voluisse suum Decretum ad omnes passim Ecclesias Parochiales extendere; quia hæc Beneficia ejus sunt conditionis, ut sub simplici Beneficiorum